9

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE EPIDEMIA,
QUAE ANNIS 1817, 1818, APUD MONAGHAN, EJUSQUE VICINITATEM, MAXIME SAEVIEBAT;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS TEMPLE,

HIBERNUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

VIRO EXIMIO,

DACRE HAMILTON,

DE CORNAGHCASSA,

ARMIGERO,

NECNON

DE COMITATU MONAGHANENSI

MAGISTRATUI;

HOC OPUSCULUM,

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

QUA DECET OBSERVANTIA,

SACRUM VULT

AUCTOR.

ITEM,

VIRO REVERENDO,

CAROLO EVATT,

PACIS CURATORI

APUD MONAGHAN,

HOCCE TENTAMEN ACADEMICUM,

PROPTER AMICITIAM

QUA EUM DIGNATUS EST,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

DEDICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

DE

FEBRE EPIDEMIA,

QUAE ANNIS 1817, 1818, APUD MONAGHAN,

EJUSQUE VICINITATEM, MAXIME SAEVIEBAT.

Mihi summos Apollinis honores ambienti, atque aliquid in re medica scribere coacto, in mentem venit pro *thesi* pestilentem seligere febrem, quae Hiberniae anno 1817 primum erupit, et per illum et sequentem annum magnam fecit stragem. Omnium sane morborum, quibus homines ibi plectebantur, nullus tam magna vi saeviebat, aut tam pariter lethalis fuit.

Summa vero mihi occasio fuit hunc morbum, de quo agitur, ejusdemque varietates perspiciendi, apud Monaghan oppidum, quo ad aegros accipiendos instructum fuit valetudinarium, cui praepositus eram medicus.

Praeterea, multi quidem hac peste correpti sunt, quos admittere hoc receptaculum vix potuit, et quos mihi cura fuit visere ac mederi.

Haec febris inter pauperes primo incepit, et vere gradatim increvit, anno incalescente ; sed non ante Junii initium, ullam sibimet insignem notitiam acquisivit. Quo tempore, in oppido ac rure vicino imprimis plus solito invaluit, et talem, Julii mense et Augusti initio, gradum corripuit, et maligne regnavit, ut pectori fortissimo metum incuteret, cunctaque postularet auxilia, quae terribiles ejus direptiones sistere optime possent.

Ideoque magistratus summa cum prudentia consilia inierunt, quae huic oppidi rurisque conditioni vere lachrymabili illis optima viderentur opem adferre. Pecuniam igitur collatitiam ubique colligere jubent, quae, febricitantibus et domicilium extruere, et ejus sumptum ex-

pedire, sufficiat. Hoc in modo, morbus, ut putant, fuit debellandus. In domo enim aegrotantibus dicata, propria medicamenta fere semper optime administrantur; et morbo infecti ab amicis plebeque sanis facile sejunguntur, itaque pestis progressus sistitur.

Nihilominus tamen morbus, quem prosequimur, increscere perstitit ad hyemem usque, qua minus frequens, minusque lethalis evasit.

Vere autem atque aestate accedentibus, anno sequente, ubi calidius fuit coelum, aegrorum exempla admodum augebantur; sed minus acerba et multo diversa fuere ab his, quae, anno praecedente, praecipue urgebant.

Haec febris primo quidem se prodidit post messim seram; per quam totam, fruges haud bene permaturescebant, neque, ob autumnum intempestivum, conservari vix potuere. Praeterea cuncta inquinabantur frumenta, et solito parciora erant, et quantitate ac qualitate pariter defecere. Tristis hyems omnia vastabat, neque adfuit materia ad ignem idonea. Pauperes vestimentis bonis et propriis adeo egebant, ut haud bene a frigore defendi possent; animi-

que illorum deprimebantur, neque aliud vitae solatium habuere ; victus valde parcus, ac non exiguis pretiis veniit. Agricolae operosi, ac opifices omnigeni nil negotii habuere, summisque angustiis pressi sunt ; atque ex bello nuper finito, et pecuniae defectu, quidvis opus arte factum nihili habitum est. Qui prius praediolis aut industria laute vixerunt, ad summam inopiam aut paupertatem redacti sunt. Multi cibum, quem solebant, obtinere vix potuere ; et, denique, ad officinam culinariam publicam confugere coacti sunt, quam oppidani benevoli ad illorum usum accommodabant.

Ex his rite perpensis, nil mirum est, illos egenos in febres aliosque morbos incidisse ; quippe bene notum est, pestilentiam fami, aliam alii succedere. Plurimi enim diarrhoea et dysenteria correpti sunt, hyeme aut vere ; et haud pauci aestate, anasarca, praecipue pedum oedemate.

Hic vero epidemius morbus contagioni, me judice, vix tribuendus est ; quippe quae plenam rationem haud prorsus redderet, cur in diversis ruris locis simul inventus sit, et regnum

plerumque pervaserit. Hic autem semel inductus, contagiosus esse videtur ; quia oriri patet ex mendicis vagis, immundisque illorum vestimentis ; quae mollia ac spongiosa cognoscuntur contagionem diutius retinere. Mendici igitur rus perambulare prohibiti sunt, et quisque sibi, quandam nummi partem, quoque hebdomade, accipere, domique manere cogebantur.

Similia sunt morbi, de quo agimus, indicia, quae aliis febribus accedere solent. Haec plerumque languore et lassitudine incipiunt ; aeger hebes ac gravis fit, alicuique motui aversus ; deinde membra artusque debilia evadunt ; quibus oscitatio ac pandiculatio succedunt : pallescit facies cum cuti constricta ; frigoris sensus, in dorso primum perceptus, toti corpori obrepit, et musculi dolent. Aeger prope focum assidere mavult ; et nunc in aliqua capitis parte, plerumque supra oculos, subfrigidum sentit dolorem. Jamjam dolent dorsum ac lumbi : cor haud fortiter micat, cum debili sed frequenti respiratione, atque astringitur alvus cum appetitus defectu.

Cum haec signa aliquantum durassent, incanduit ore rubor, qui omnino abit, et cito accedunt capitis dolor, vultus pallidus, lingua subalbida, cum siti magna et cibi fastidio.

Aeger nunc miserrime anhelat pulsu frequente, et constrictionis sensu premitur circa praecordia. Cutis saepe incandescit, sicca est; alvus astricta cum nausea et vomitu; pallida, interdum limpida fluit urina, nunc subrubra sine sedimento. Horum vero indiciorum pauciora vel plura simul concurrunt, et plus minusve urgent secundum morbi impetum.

Morbo ineunte, saepe tres aut quatuor dies, interdum longius circumambulare potuit aeger; sed signa omnia vespere ingravescunt, et lectum postea tenere cogitur debilitate, aliisque plus urgentibus. Plus nunc dolet caput; arteriae caroticae ac temporales vehementer pulsant; urgent sitis inexplebilis, nausea ac vomitus; cutis inarescit, cum magno calore.

In quibusdam exemplis paucis, profusi erumpunt sudores, qui rarius profuerunt. Cor interdum centies et tricies micuit horae *minuto*: sensus ponderis et oppressionis apud praecor-

dia percipitur, plene inspirando, premendo aut tussiendo admodum auctus; necnon et pectoris et capitis dolores multum augentur.

His perstantibus pro tempore, sordes subfusca, atra linguam obducit; saepe delirium ferox adeo aegrum infestat, ut e lecto viribus auctis surgat, et foris eruat vix facile compescendus.

Plerumque vero mite est delirium, ut sine nisu aliquo saepe sibi mussitet; sorde atra dentes inquinantur; spiritus male olet; serius aut citius prodeunt petechiae, quae, secundum morbi vim, diversas corporis partes infestant, primum humeros, deinde dorsum ac lumbos, et quae saepe e florido ad lividum colorem variant.

Miser haud raro decumbere supinus mavult; saliva plus aequo secernitur; tinnitus aurium et invitae contractiones musculorum excruciant; faeces nigrae atque foetidae; et dolor abdominis pressu augetur.

Si constat autem morbum ex ejus viribus aut duratione infauste esse desiturum, tunc perstant delirium cum magna inquietudine, et pervigi-

lia. Incipiunt coma cum mussitante delirio, et subsultus tendinum. Aeger nunc in lecto facile delabitur, ac integumenta manibus deducit; urina ac faeces pariter injussu fluunt; abdomine tumefacto respiratio difficilis est, et pulsus debilis sed frequens; emplastra vesicatoria nil boni inducunt, sed potius ad putredinem tendunt; petechiae subnigrae fiunt, et devorandi facultas pene perdita est. Maxilla inferior decadere incipit; et extrema frigida, singultus, mortem instare fere semper indicant. Nonnunquam vero ex plurimis horum praesentibus, aeger in sanitatem rediit.

Contra autem, si morbi eventus faustus sit futurus, pauca aut nulla signorum jam dictorum superveniunt. Lingua fit humida, atque ad margines nitida; cutis mollis ac humida; pulsus plenior et mollior; aeger minus sitit, et grate obdormiscit, et facile in utroque latere pariter recumbit in somno; petechiae subfuscum amittunt, et saepe floridum colorem potius acquirunt; aphthae circa os erumpunt; necnon interdum inflammantur et suppurantur parotides; et mitiora saepe signa fiunt leni diarrhoea, aut sudore

profuso, qui decimo quarto morbi die saepe copiosus e corpore universo erumpit, cum urina sedimentum copiose deponente. Cutis calor et cordis actio praeter naturam vix percipiuntur.

Morbus tamen ad septimum decimum aut vigesimum diem durat ante crisin ; interdum autem gradatim et ex improviso sine evidente crisi abiit.

Verumenimvero diversas formas in diversis hominibus induit. Inter egenos, et qui debili corporis habitu imbuti sunt, speciem plerumque habet typhi mitioris, et decimo quarto, aut interdum decimo septimo die e crisi abiit profuso corporis sudore. Contra vero malignam speciem haud raro assumit, quae cum signis putredinis, octavo die e medio interdum sustulit, saepe undecimo, sed plerumque tertio decimo, aegri aerumnis imposuit finem.

Aliter se habet, ubi divites et robustos corripit, et fere semper originem ducit e contagione.

In illis saepius incipit omnibus inflammationis notis, sanguinis congestione caput versus, pulsu forti, duro, facie turgida, rubra, oculisque suffusis ; quibus ex omnibus caput maxime do-

let, praecipue circa frontem, et haud minus lucis intolerantia, quam soni eosdem perturbat.

Quinetiam hic morbus pestilens autumno, aut hyeme cum pneumoniae signis saepissime conjungitur, et pectoris dolores cum tussi vexabant, plena inspiratione haud parum aucti. Haud infrequenter quoque dolore et tussi molesta hepar maxime afficitur.

In provecto morbi stadio, adfuere magnae abdominis congestiones, cum doloribus premendo auctis, necnon intumescentia ejusdem; alvus quoque pertinaciter astricta, et, quodcunque dejiciatur, parcum et durum, nigrumque male olens.

Quae morbum, quem prosequimur, praecipue insignem reddunt, sequentia sunt. Hic primum magis contagiosus fuit, quam aliquis ex signis mitibus conjicere queat. Ad inflammationem topicam, sive sanguinis congestionem in cerebro, pulmonibus, hepate cunctisque visceribus internis, admodum tendebat. Porro aegri fere omnes sanguinis jacturam melius tulerunt, quam morbi res indicarent. Sanguine misso, coit, et tunica coriacea prodit, sed tarde et mi-

nus firma marginibus vasis adhaerens. Semper conquerebantur aegri de pondere atque oppressione circa praecordia; et nunquam petechiae defuere. Qui decimo quarto die crisin habuerunt, plerumque in morbum rarius relabuntur. Vere et autumno signa graviora erant, et crisis saepius septimo die accidit, nono aut undecimo, et rarius ad decimum quartum unquam extendebat. Dies, quo saepe crisis accidit, septimus fuit; et sudore profuso, signorum remissione frequentissime morbus solvebatur.

Post crisin vero multi cum articulorum doloribus, sed praecipue circa humeros conquerebantur. Illis interdum adfuerunt subflavedo cutis et oculorum, necnon dextri lateris dolores cum urina rubra et subfusca. Haud infrequentes erant in hunc morbum relapsus; neque pauca erant hominum exempla, qui bis, terve aut saepius in eundem inciderunt. Nullus dies, nisi fortasse sextus, observari potuit huic rei proprius. Inter illos imprimis accidit, qui nimis laute vixerint, aut fortasse e lecto maturius surrexerint. Sed hujus eventus rationem reddere

vix possumus, quippe qui saepe advenerit summa cura obnitente.

Cum morbi relapsus accidisset, tres aut septem dies fere mansit, et saepe primo impetu pejor fuit : sed solito in modo solutus est, et rarius lethalis, nisi inter homines senio confectos.

Quanquam ars medica illis hac febre laborantibus plurima medicamenta tulit cum bono fructu, tamen multos observatum est sine illorum usu ad sanitatem redire. Illis, qui aegrotabant, praecipue ante tertium febris diem, nisi fortasse vetuerit sanguinis congestio caput versus, et pneumoniae indicia, nonnunquam emetica exhibui ; sed plerumque ab initio concessi purgantia, quae citius opem tulerunt. Haec fere semper ex jalapae pulvere et calomelane constabant, sed nonnunquam sales medii bene diluti, aut sennae infusa optime respondebant.

In morbi progressu, ubi tormina urgebant, oleum ricini, et praecipue oleo terebinthinae conjunctum, maxime profuit ; et nunquam inutile fuit, semel, bis aut ter in die alvum dejicere. Sin autem nigrae, foetidae sint dejectiones, lin-

gua sordescat, corporisque vires multo collabantur, purgantibus praestare inveni enemata; quibus tamen niti omnino vix oportet, quasi alvum minus plene evacuantibus. Interea multum fructus haustus effervescens attulit, necnon aqua acetatis ammoniae, praecipue si cum nitrate potassae aut spiritu aetheris nitrosi commisceatur syrupo et aqua, adeo ut mistura aegro grata sit. Hac enim potione saepe decedit corporis calor, mollis ac humida fit cutis, et imminuitur sitis. Ad eundem finem quoque confert aquae affusio frigidae, quae vi maxima pollet imminuendi morbidum corporis calorem, et somnum conciliandi. Hujus usu remedii potentissimi, ipsemet maximum expertus sum auxilium, dum laborabam acutissimo hujus morbi impetu. In provecto autem morbi stadio, ablutionem frigidam tantum adhibui, et eadem ope bona.

Sed hyeme, aut frigido anni tempore, aegri id remedii genus vix tolerare poterant, neque aquam frigidam in ullo modo applicatam sinere persuadebantur, quamvis eorum corpora plus solito gradu incalescebant. In his exemplis

igitur, cum aqua tepida se lavare jussi, quod et gratum erat, et calorem fervidum imminuebat.

Sanguinem detrahere e brachio saepe utile erat, praecipue ab initio morbi, ubi dolebat caput, cum lucis intolerantia atque soni, et facies turgida erat. Hoc auxilium dolores pectoris indicant, plena inspiratione et tussi aucti; necnon circa praecordia ponderis et oppressionis sensus, qui premendo augetur. Inter hos quidem aegrotantes sanguinem mittere ad octo aut duodecim uncias, aut amplius, valde necessarium erat; neque in pectoris doloribus inutile fuit hanc operationem iterare.

Quamvis plerumque post sanguinis missionem sufficiat parti dolenti emplastrum vesicatorium applicare, tamen capite dolente plus deplere oportet, et in his rebus hirudines aut temporalis arteriae incisio optime respondent.

Aegri enim in hac febre male ferunt sanguinis jacturam; et cujus sex, aut octo unciis missis in syncopen decadunt, sed bono eodem effectu, ac largis depletionibus in morbis phlegmasiarum. Praeterea magni momenti est ca-

put abradere, et aqua frigida aceto mista bene levare. Si adhuc vexare capitis dolor perstat, et delirium supervenit; haec molesta signa optime amoventur vesicatorii emplastri applicatione.

Ad vomitum sedandum, ubi maxime urgebat, haustus effervescens reperiebatur aptus, cui, si minus valuit, addita est tinctura opii; et ubi haec remedia nil profuere, emplastrum vesicatorium abdomini applicatum, rarissime nos fallebat in opem ferendo.

Febre ingravescente, haud raro percipiebatur abdominis tensio, quod admodum dolebat manu premente, et pessimi ominis fuit. Ad hoc levandum, oleum ricini et terebinthinae conjuncta in propriis dosibus inventa sunt idonea; nec raro ad partem dolentem fovendam, aut denique ad emplastri vesicatorii usum confugiebamus. Si quando autem aeger imbecillus evadit, et pulsus debilis, petechiae subnigrae, et singultus superveniunt, misturam camphoratam aethere sulphurico conjunctam exhibui; idque magno cum fructu. Sin nihilominus ad subnigras petechias faeces nigrae et foetidae acce-

dunt, cerevisiae spuma cum eodem latice mista, et in statu effervescente epota, multum proderat. Porro alvi fluxus, sive diarrhoea, qui nonnunquam post usum purgantium advenit, neque morbi crisin facit, quam primum potest, sistendus est; et haud raro solvitur usu tincturae kino opii tincturae additae, necnon potionis carbonatis calcis cum opio juncti.

In plurimis exemplis hydrargyri praeparata ita adhibui, ut oris salivam tantum cierent; sed ex incommodis, quae exinde sequebantur, usus hujus remedii necessitate omissus est. Inter eos enim quibus febris mitis erat, exulcerationem oris et debilitatem induxit, quae, quam morbus ipse, magis vexabant. Praeterea, ex hydrargyri usu, quibus propria defuerunt vestimenta se a frigore bene defendere, illi fiebant doloribus obnoxii, qui maxime urgebant. Neque inter illos, qui maxime febricitabant, solitum ejus effectum inducere potuit; ita ut neque in ore appareret salivam ciendo.

In provecto morbi statu, quo debilitas maxima erat, vinum prae aliis rebus ad vires reficiendas ac roborandas valde utile fuit, quod primo ad-

hiberi debet aqua dilutum, et in parca quantitate. Nec rarissime eodem liquore puro, et non misto uti melius respondebat, aut spiritu Gallico, vel opio, urgente debilitate.

In statu convalescente, quietum et tranquillum aegrum teneri oportet, neque alicui victui indulgere, nisi sit concoctu facilis, et satis nutriens, et parca in copia. Frequenter concedatur vini pauxillum.

Denique conclave, quod convalescens habitat, haud nimis frigidum sit, et, si horret, integumenta superaddantur, et cibum et potum assumat modici caloris.

FINIS.